UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nucleus Juris Canonici

Thenhaven, Bernhard

Coloniæ Agrippinæ, 1739

XXXI. De Regularibus & transeuntibus ad Religionem. D. 24. S. 6. C. 2. EC. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-63382

Visual Library

„dùm taxationem beneficiorum in illis
„ locis conſuetam & ad monetam curren-
„ tem ſolvi & accipi debent. Eccleſiarum
„ verò calices, libros, aliáque utenſilia Di-
„ vinis Officiis deputata Collectores &
„ Subcollectores in pignus non recipiant
„ aut diſtrahant.

7. IV. In *Extrav. comm. h.t. c.un.* ſtatuit Pontifex: „Moniales aliæque Regu-
„ lares perſonæ, quarum redditus adeo
„ ſunt tenues, ut de illis ſuſtentari non
„ poſſint, ſed pro habenda vitæ ſuæ ſuſten-
„ tatione mendicare debeant, Decimam
„ non ſolvant. Verùm tunc Ordinarius Rectori Eccleſiæ de congrua ſuſtentatione providere debet, donec Moniales ad meliorem fortunam pervenientes, ipſi rurſus Decimas ſolvere poſſint.

TITULUS XXXI.

De Regularibus & Tranſeuntibus ad Religionem.

1. Notum eſt, ad Eſſentiam Religionis ſpectare tria vota ſubſtantialia: Paupertatis, Caſtitatis & Obedientiæ, quarum prima rebus, ſecunda carni, tertia menti dominatur & animo, ait JOAN. XXII. *Extrav. Quorundam* de V.S. Non verò requiritur, ut iſta vota ſint ſolemnia, ſed

ſuffi-

ſufficiunt ſimplicia in ſacro Cœtu ab Ecclesia approbato, ut patet in Scholaſticis S. J. Vide *Nucl. Theol. Exam. 16. n. 4.* & *Exam. 30. n. 4.*

2. Jure novo Trident. *ſeſſ. 25. de Regul. & Monial.* Varia circa Regulares ſtatuuntur, inter cætera C. 11. „In quacunque Religione tam virorum quàm mulierum „profeſſio non fiat ante decimum ſextum „annum expletum; nec qui minore tempore quàm per annum poſt ſuſceptum „habitum in probatione ſteterit, ad pro„feſſionem admittatur. Profeſſio autem „anteà facta ſit nulla, nullámque inducat „obligationem ad Regulæ vel Religionis „obſervantiam aut ad alios quoſcunque „effectus. Unde per hoc corrigitur jus antiquum in *Decret. h. t.* ubi c. 11. & 12. „Profeſſio tempore pubertatis (i. e. poſt annum 14 in maſculo & poſt 12 in fœmella) „facta, vel antè facta & pòſt ratificata cenſetur firma. Item C. 16. Licèt annus pro„bationis ſit indultus in favorem converſi „& Monaſterii, ut ſe mutuò valeant ex„periri; ſi tamen ante tempus probationis „finitum profeſſionem emittat, Abbate „illum recipiente, uterque videtur favori „ſuo renuntiare, ideóque obligatur ad ob„ſervantiam Regularem, quia multa fieri „prohibentur, quæ ſi facta fuerint, roboris

„obtinent firmitatem. Verùm cùm per privilegium Pii V. Bullâ: *Summi Sacerdotis*, Novitius vel Novitia in ætate legitima conſtituti, i. e. poſtquam annos diſcretionis ſeu pubertatis attigerint, quando judicio Medici videntur diſceſſuri, poſſint pro conſolatione animæ ad conſequendas Indulgentias, aliáſque gratias profeſſorum ante completum Novitiatum facere profeſſionem; ex hac tamen, ſi præter ſpem convaleſcant, non obligantur ad Regulam; neque ſi decedant, Monaſterium, bonorum capax, in bona decedentis ſuccedit. Ita communior apud *Reiffenſt. h. t. n.* 183.

3. Præterea *Trident. l. c. c.* 16. decernit: „Nulla renuntiatio aut obligatio ante pro„feſſionem, etiam cum juramento vel in „favorem cujuſcunque cauſæ piæ facta „valeat, nisì cum licentia Ordinarii ante „duos menſes proximos ante profeſſio„nem, neque aliàs effectum ſortiatur, niſi „ſecutâ profeſſione; aliter verò facta, „etiam cum hujus favoris expreſſa renun„tiatione, etiam jurata, ſit irrita & nullius „effectûs, ne hâc occaſione Novitius „diſcedere nequeat, nec facilè, ſi diſceſſe„rit, id recuperare poſſit. An verò valeant hujuſmodi renuntiationes ante ingreſſum Religionis, ſed intuitu illius factæ, v. g. re-

ſignatio beneficii & ſimiles? Utrimque diſputatur teſte *Reiffenſt. h. t. n.* 143. ſaltem *c. 4. h. t. in 6.* ſtatuitur: „Beneficium ingre-„dientis Religionem non eſt infra annum „probationis cuiquam alteri conferen-„dum ſine ipſius conſenſu; interim autem „debebit eidem beneficio per alium deſer-„viri, aſſignatâ ſibi congruâ de ipſius pro-„ventibus portione. Denique certum eſt valere teſtamentum ante ingreſſum vel poſt contra formam à Trident. hîc præſcriptam factum; quia cùm ſit pro libitu revocabile, non læditur libertas Novitii, conſequenter hîc non militat ratio Decreti de renuntiationibus per ſe irrevocabilibus.

4. Inſuper *Trident. l. c. c.* 19. ſancit: „Quicunque Regularis prætendens ſe per „vim vel metum ingreſſum eſſe Religio-„nem, aut etiam dicat, ſe ante ætatem de-„bitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, „velitque habitum dimittere, non audia-„tur, niſi intra quinquennium tantùm „à die profeſſionis; & tunc non aliter, niſi „cauſas, quas prætenderit, deduxerit co-„ram Superiore ſuo & Ordinario. Quòd „ſi antea habitum ſponte dimiſerit, nulla-„tenus ad allegandam quamcunque cau-„ſam admittatur, ſed ad Monaſterium „redire cogatur, & tanquam apoſtata pu-

„niatur. Verùm elapſo quinquennio poteſt taliter profeſſus à S. Congregat. Trid. Interpretum vel negotiis Regul. præpoſita petere reſtitutionem in integrum, ſi intra quinquennium vel nullitatem profeſſionis ſuæ ignoravit, vel aliàs à reclamando impeditus fuit, ut tradunt DD. apud *Reiffenſt.h.t.n.*204. Imò ſi reclamans aſſerat, ſe fictè tantùm conſenſiſſe, habens pro ſe graves & violentas conjecturas fictionis ad ſemi-plenam probationem ſufficientes, tali poſſe deferri juramentum ſuppletorium, eóque præſtito declarari profeſſionem nullam, docet Pichler *Deciſ.*104. Aut ſi certò ſciat, ſe fictè profeſſum aut nulliter ob defectum ætatis, & nunquam profeſſionem tacitè vel expreſsè ratificaverit, poteſt per ſe pro foro interno ſemper, etiam poſt decennium, Religionem deſerere.

5. Addit *Trid. cit. Cap.* „Nemo Re„gularis cujuſcunque facultatis vigore „transferatur ad laxiorem Religionem. Per quod non corrigitur Jus antiquum *C.18. h. t.* „Profeſſus non ex temeritate vel „levitate, ſed verè melioris vitæ amore „volens ad arctiorem Religionem trans„volare, poſtquam à Prælato ſuo trans„eundi licentiam poſtulavit, liberè poteſt „ſanctioris vitæ propoſitum adimplere,

„nec

„non obſtante contradictione Prælati. Si „verò probabiliter dubitetur, utrùm quis „velit ad Ordinem arctiorem, an laxiorem ex charitate, an temeritate tranſire, „Superioris judicium eſt requirendum. Quam facultatem in *Extrav. Comm. h. t. c.* 1. Pontifex limitat: „Nullus Religioſorum Ordinum Mendicantium prætextu cujusvis licentiæ aut Indulti etiam „Apoſtolici ad Ordinem non Mendicantium (Ordine Carthuſianorum duntaxat excepto) tranſire audeat ſub pœna „Excommunicationis ſoli Pontifici reſervatæ, à receptis & recipientibus ipſo „facto incurrendæ. Imò nullus ex Ordinibus Mendicantium in ullum Monaſticum Ordinem (Carthuſianorum excepto) recipiatur ſine ſpeciali licentia „Sedis Apoſt. ſub dictis pœnis; ſecus facta, „ipſo jure ſint irrita. Verùm hodie omnes ferè Religiones, paucis exceptis, habent privilegia, vi quorum profeſſi ad nullam aliam, etiam Carthuſianorum, ſine ſpeciali licentia Papæ tranſire poſſunt; ſine qua tamen poteſt Generalis Societatis JEſu dare ſuis facultatem tranſeundi ad quemvis alium Ordinem, etiam laxiorem, ut ait *Pirh. h. t. n.* 173.

☞ (†) ☜